

meamque quoad nomen uxorem vulgo mihi Rone Somfruc  
Loëffling.

Lubentissime scirem, quomodo valet amicissimus meus  
quondam Contubernalis D<sup>aus</sup> Loëffling.

De coetero Tuum in posterum favorem mihi continuan-  
dum humillimus apprecor.

Vive quam diutissime felix in Scientiarum Augmentum,  
Patriæ ac Discipulorum Tuorum singulare emolumentum decus  
et gaudium. Ita vovet Tuus ad cineres usque devinctissimus  
ac humillimus servus, discipulorumque Tuorum omnium longe  
infinus Danus.

dab. Havniæ d. 8. Septembr. 1751.

(7) Excellentissimo Perillustri atque Experientissimo

D. D. Carolo Linnæo

S. R. M. Svec. Equiti aurato, Archiatro et Professori  
longe celeberrimo

Præceptori et Fautori æternum colendo

S. P. D.

Georgius Tycho Holm

Qvanquam pudor facile vetaret, meque à Consilio ad Te,  
Vir Excellentissime! tot tantisque gravissimis onustum occu-  
pationibus literas dandi merito deterreret, dum mihi scribenti  
nihil suggerit præsens tempus, quod tuam meretur perlectio-  
nem, solitâ tamen ista Tua et tot in me collatis immortalibus  
beneficiis sat comprobata benevolentia fretus, hisce Tibi lineolis  
molestiam exhibere præsentemque rerum mearum conditionem  
notam reddere sustinui, talis meæ libertatis culpam humillimè  
deprecans.

Jam isto servitutis Praxeos Medicæ onere, quo in Nor-  
vegia duos circiter annos pressus degi, excusso, pristinae  
libertati pristinoque, quod mihi maxime in Deliciis est, Hi-  
storix Naturalis studio redditus reviviscere coepi; cumula-  
tissimis enim et quam maxime tædiosis implicito negotiis ab  
officio ne minimum mihi vacabat temporis memorato Studio